



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Puritas cordis quomodo acquiratur, conseruetur, vtq[ue] sine ea nihil Deo placere possit. Cap. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Puritas cordis quomodo acquiratur, conseruetur: vt-  
que sine illa nihil Deo placere  
possit.*

## CAPVT XXII.

**S**I vnquam Deo coniungi cupis, voluntatem tuam penitus ei dedere & abne-  
re, peccus ab omni creaturarum inordinato amore illibatum conseruare, om-  
nesq; delicias & corporis blandimenta procul ablegare debes. Quemadmo-  
dum enim miles secularis amicos, patriam, facultates omnes derelinquens, corpus  
& animam incertæ Martis alex exponit, in externis regionibus ad mortem vique  
horrendis prælijs conflictatur, vt vilem aliquem nummulum sibi lucrifaciat: ita  
& tu si summum bonum in corde tuo possidere concupiscis, nondum illud feriatum  
pauper spiritu, exoneratumq; ab omnibus quæ purè Deus non sunt, quantum po-  
tes custodias: sic demum diuinæ gratiæ sol peculiariter in illo splendet ac opera-  
bitur. Oculum cordis, hoc est, intellectum tuum, ab omnibus imaginibus & formis  
purum quietumq; efficias, incidentes quasuis ineptias abigas. Si ipse eas in ani-  
mum non introduxeris, cito earum obliuisceris, minimoque negotio vniuersa  
tentamenta superabis. Quorum namque imagines in te non introducis, ea etiam  
non concupiscis. Principio quidem graue est, à cunctis imaginibus & phantasia-  
rum ineptijs vacuum liberumq; fieri: at vbi eo quis profecerit, vt videns cæcus  
factus sit, audiensq; surdaster, hoc est, quod internæ contemplationi, rerumq; diui-  
narum studio adeo fit addictus, vt sensus exteriores perfectam suam operationem  
iam non exerceant: tum ei non erit amplius onerosum. Proinde quamdiu imagi-  
nes formasq; omnes nondum penitus excludere vales, id saltem cura, ne illas tu in  
animum sponte inferas & foueas & paulatim in sese euanescent. Pijis vero imagini-  
bus de Deo, deq; rebus diuinis, quæ te in Dei amorem inflamment, quemadmo-  
dum supra dictum est, mentem tuam occupare ad labora. Si peccus tuum ab impu-  
ris adfectibus & amoribus purum conseruare cupis, momentaneæ lætitiæ, carna-  
liumque illecebrarum memoriam, quam longissimè ex animo profigare aduolue-  
ce. Solitudinem cordis intra te constitue, omnes suppullulantes variarum rerum  
adfectus motusq; incidentes rerum caducarum sollicitudines abijce, cogitationum  
ineptias tibi ob oculos volitantes propelle, occultum, quoddam diuerticulum & tran-  
quillum in corde tuo tibi construe, vbi ab omnibus rerum accidentium amoribus  
& sollicitudinibus liber, dilectissimo tuo (sicut desiderat anima tua) quandoque de-  
colloqui & vacare vales. Ante omnia cor tuum intus simplex & vni forme custo-  
di, in mentis silentio conticesse. Quoniam vnum, hoc est, vnitum cor & purum ab  
omnibus ineptis phantasijs est necessarium. Simplici enim, ocioso & quieto corde  
super omnia delectatus Deus, nobilissimum opus suum in eo operatur. Anima no-  
stra semper multumque laborat, quoniam multis & diuersis semper distenditur  
cogitationibus. At quem omisis multis, vnum dumtaxat cogitat, tunc à superfluo  
illo multoq; labore liberatur. Idem si nihilum tuum mente pertractes, non ita  
multo labore deprimeris. O si quis ad cordis tranquillitatem, ad omnium rerum  
obliuionem peruenire possit, illius & rerum amicorumque illius omnium solici-  
tam

Cordis puri-  
tas quomo-  
do acquiren-  
da.

Oculus cor-  
dis quomo-  
do purgandus

Cor quomo-  
do sit purum  
conseruan-  
dum.

Simplicitas  
cordis qui  
custodienda  
fit.  
Lucæ 10.



Deus curā ageret, contraq; inimicos illius pro eo dimicaret. Caterū ad verā pacē, ad veram cordis quietem, nunquam aut quam rarissimē peruenitur, nisi per hanc tranquillitatem & euacuationem omnium creaturarum, cum introueris vobis in Deo vnitis, in æterno illo nunc, diuinitatis ipsius. Istud autem pro vniuersis exercitijs sufficere potest.

Quies cordis  
vera quomo-  
do obtinea-  
tur.

*Affectus quomodo mundandus, & ornandus & per nuditatem simplicandus.*

## CAPVT. XXIII.

Ceterum, vt hæc paulò fufius, præsertim quæ ad vim appetitiuam attinent, explicentur scire conuenit, totius nostræ salutis cardinem, non in alio post Deum, quam in nostri arbitrij libertate consistere. Quum enim nos ipsos per liberum arbitrium cum amore conuertimus ad originem nostram, vnde profuimus, Deum saluamur: omnesq; animæ nostræ vires atque aded corpus ipsum, huic voluntatis arbitrio seruire ac morem gerere compelluntur. Ad verò quum nos per liberum illud arbitrium vel ad nos ipsos, vel ad creaturarum amorem incuruamus, vniuersorum malorum segetem nobis aperimus: anima ipsa (vt pote permixta rebus multò se vilioribus) turpiter sordidatur, haud secus, quam si argenteum plumbo permisceatur. Proinde ante omnia necessarium est, vt toto conamine voluntatem, adfectusq; nostros, ab omnibus peregrinis amoribus & inclinationibus ad res externas, puros custodientes, in nullo penitus nisi in solo Deo conquiescamus. Huc spectat quod ait Augustinus. O nobilis anima, o Dei excellens creatura, quid eum queso extra te quæris, qui totus verè, nudeq; est intra te? Diuinæ naturæ participes facta es, & creaturas sectaris? *Vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Et quocunq; amoris thesaurus præcedit, eo & cogitationes sequantur necesse est. Quod præ omnibus maximè diligis, id sæpissimè cogitas. Et quod sæpissime cogitas, id maximè diligis. Vis igitur scire vbi sit thesaurus tuus? Vide quid magis diligas. Vis scire quid magis diligas? Attende: quid frequentius cogitas, quid potissimè quæris, Deū an creaturas? Cuiusmodi autē in corde tuo frequentius versatur obiectū, istiusmodi & ipse es. Quamdiu à creaturis nondum perfectè fuerit homo liberatus, nondū eas dereliquerit aut excluderit, tã diu neque ad Deum liberè euolare, neq; diuina limpide contèplari poterit. Ideò nos tam raros hodie videmus veros contèplatores, quod momentaneis istis nimium in hærentes, ab amore creaturarum totos se non auertunt. Maximum enim diuinæ gratiæ operationi impedimentum in nobis præstant voluptas gratiositasq; creaturarum. Deus ne tantillum quidem nobis proprii concedit quo nobis ipsis in hæreamus, quodū nobis ascribamus: quantum patiat̄ oculus meus; hoc est, planè nihil quoniam Dei solius omne est propriū. Quare omnibus sine proprietate, non sicut peculiariter nostris, sed veluti ad tempus nobis accommodatis, vti debemus. Fundamentum autem ipsius cui omnis boni structura nititur, est, vt intus nos nudemus, nudatosq; conseruemus à rebus omnibus extraneis. Id Deo summè placet, ob id læta nobis immittit & tristia, prospera & aduersa: ideò intus nos admonet,

Arbitriū ho-  
minis quom-  
sit liberam.

Affectus ho-  
minis quom-  
modo mun-  
dandus.  
Augustin.

Matth. 6.

Contempla-  
turi cur pau-  
e hodie in-  
ueniantur.  
Proprietas  
omnis abdi-  
canda.

Nuditas spi-  
ritualis ne-  
cessaria qua-

vt huc